



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Facilis Et Succincta S.S. Canonum Doctrina**

**Pirhing, Ehrenreich**

**Dilingæ, 1690**

§. VI. An, & quomodo bona, vel mala fides antecessori in ordine ad præscriptionem?

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61641)

dò debitam diligentiam adhibuerit, ad dubium hoc resolvendum, prout videtur probari posse *exc. ult. h. t.* Cùm in tali casu iuxta communem juris regulam resolvere se optimâ fide possit, cui dubium tale ceptâ jam præscriptione supervenit, quòd melior sit conditio possidentis; & retinere rem talem possit; quidquid sit de eo, num sua sit, an non, ita ut speculativum quidem dubium habeat, num res hæc sua sit, vel non, suspendat tamen hoc iudicium suum, & practicè certus sit, quòd retinere eam possit.

## §. V.

*An, & qualis ignorantia sive facti: sive juris impediatur bonam fidem, & consequenter etiam ipsam præscriptionem, vel non?*

Affertatam & crassam ignorantiam non excusare à peccato, communissima docet, & consequenter non minùs bonam fidem tollit ignorantia illa, quàm præscriptionem impedit. Si tamen invincibilis ignorantia sit facti, vel juris non liquidè, sicuti bonam fidem non impedit, ita nec præscriptionem, quæ enim à iure reprobata non est ignorantia, consistere potest cum bona fide, non tantùm in foro conscientiæ, sed etiam in foro externo, & consequenter cum tali ignorantia præscribi potest; prout etiam ex pluribus utriusq; juris textibus patet. Quòd si verò juris clari, manifesti, & indubitati ignorantia habeatur, quamvis invincibilis hæc sit, nolunt tamen jura ad præscribendum illi favere, aut ad bonam fidem (Civilem scilicet, non Theologicam) sufficere, prout iterum pluribus iuris Textibus ostenditur, & con-

sequenter cum tali ignorantia præscribi non potest, cùm enim à iure positivo dependeat sola præscriptionis natura, nolint autem iura ad præscribendum his favore, qui iuris indubitati ignorantiam habent, consequenter præscribere hi tales cum tali ignorantia non possunt, nisi fortasse tales personæ essent, in quibus toleratur ignorantia, ut etiam clari, uti sunt milites, minores, mulieres, rustici, &c. de hac tamen questione consulendi Civilistæ, qui plerumque etiam ostendunt, quamvis ignorantia iuris clari non profit ad acquirendum prædest tamen, cùm agitur de damno vitando.

## §. VI.

*An, & quomodo bona: vel malæ fidei antecessoris seu auctoris proficiat, vel non sit successor in ordine ad præscriptionem?*

Qui succedit bonæ fidei possessori, & si aliqua, potest ad præscribendum etiam numerare tempus sui antecessoris, & sicuti accessione illius temporis ad complendam præscriptionem, si & ipse hic successor bonam fidem habeat, cum enim antecessor transferendo hanc rem in alium, omne etiam ius, quod circa hanc rem habebat, in eum transfudit, habuerit autem ius, eam sibi præscribendi intra tempus à iure requisitum, cuius partem iam explevit, consequenter etiam hoc ius, ut reliquo tempore addito, rem talem præscribat, in eum transfudit. Qui verò malæ fidei antecessor succedit, si singularis tantùm successor sit, ex donatione v. g. venditione, legato, &c. huic equidem antecessor



tempus, quo malâ fide rem possidebat, nihil prodest ad præscribendum, neque tamen mala antecessoris fides etiam impedit illum, quò minus præscriptionem inchoare possit, si bonam ipse fidem habet, & res præscribenda nullo vitio reali affecta sit, quò minus præscribi possit; impedit autem illum ad inchoandam etiam præscriptionem, quamvis malam fidem ille non habeat, si successor sit universalis, sive hæres antecessoris malæ fidei; vitium enim defuncti nocere eius successori universali, cum sit (iuris fictione) una cum defuncto persona, & eadem (iuris fictione) hæredis talis, & antecessoris illius possessio, & passim asseritur; nisi hæres talis præter titulum hæreditatis, alio speciali titulo rem talem possideret, aut non esset hæres immediatus, sed mediatum tantum, &c. hoc enim in utroque casu non obesset mala fides antecessoris, cum in ordine ad talem rem, vel non sit una eademque persona (iuris fictione) successor cum antecessore, vel daretur duplex fictio iuris, quæ tamen à iure reprobat.

## §. VII.

*An mala fides respectu unius impediatur præscriptionem respectu alterius?*

**N**on impedit mala fides respectu unius rei aut iuris, præscriptionem respectu alterius rei, vel iuris distincti, cum bona fides præscriptioni necessaria, circa ea tantum necessaria sit, quæ præscribuntur: qui tamen absolute circa rem, quæ præscribere vult, malam fidem habet, sciens eam esse alienam, etiam si erret circa personam putans eam Titii esse, cum tamen sit Caii, præscribere non potest,

parum enim interest ad malam fidem, utrum huius vel illius sit, modò sciatur res esse aliena.

## §. VIII.

*An, & qualiter mala, vel bona fides Prælati possit obesse, vel prodesse Ecclesie quoad præscriptionem?*

**S**I Prælati noverit, rem, quæ ab Ecclesia detinetur, notoriè esse alienam, præscribere eam non potest, sed restituere tenetur, & in tali casu non censetur, rem Ecclesie alienare, quod sine solemnitatibus ipsi prohibitum, sed alienam rem suo Domino restituere, quod boni administratoris est: Si verò notorium non sit, rem alienam esse, neque à Prælato hoc probari possit, retinere eam poterit, & præscribere, cum nullam justam causam habeat, Ecclesia eam alienandi; & quamvis si scientiam rei alienæ habeat Prælati, Capitulum verò circa eam, quæ communiter à Prælato & Capitulo possidetur, bonam fidem habeat, probabilis præscriptioni locus non sit. cum propter malam fidem Prælati, destruat bona fides Capituli, circa rem, quæ communiter possidetur; in rebus tamen ad Capitulum solum spectantibus nihil obest mala fides Prælati, modò Capitulum sit in bona fide, & Prælati in iudicio facta confessio dicat, quòd res talis aliena sit in rebus divisis, præjudicat quidem Prælato, quoad suam partem (saltem quoad vivit) nihil tamen præjudicat Capitulo, quò minus præscribere possit, nisi mandatum à Capitulo ille habeat, pro re tali in iudicio agendi, aut præsumptio iuris sit contra Capitulum, quòd